



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Cap. IIX. De apertione, publicatione, & executione testamenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

tionem, non inductis relictis illis legatis, hæc quoque invalida sunt, controvertunt AA. affirmativam tenentibus Cujacio & aliis in cit. l. 3. eò quòd, ut ibi, in valido testamento, invalida quoque sunt legata. Negativam Castrenf. in eadem l. 3. Brunem. in l. 30. c. h. r. & aliis apud Reiffenst. num. 751. Arg. ejusdem l. 3. dum ibi deciditur, rupto propter hæredis deletionem testamento deberi adhuc legatum. Distinctionis aliquid addit Lauterb. §. 19. ita ut, si testator deleverit hæredes, quia indignos reputavit, ac ita hæreditas Fisco vindicetur, id legatarii non oblit, sed iis ab eo legata præstanda. si verò deleverit, ut ab intestato decederet, ac ita hæredibus ab intestato venientibus debeatur, & iis deficientibus, Fisco, sustineri quoque legata non

deleta, etsi clausula codicillaris, vi cujus aliàs sustineri solent, in testamento non adfit. Verum, ut vides, hæc distinctio non afficit legata; cum ea in utroque casu solvenda, sed successores, à quibus solvenda. Illud hic ab omnibus admittitur, quòd deletio solum legatorum nihil obstat institutioni hæredum; uti nec deletio fidei commissarii unius legati legato alteri non deletio. per l. 1. ff. de his que in test. dolent. De cetero qualiter specialiter legata aliis præter cancellationem factis, puta rei legata donatione, aliave titulo lucrativo facta alienatione, ita etiam ut non reviviscat postmodum facta illius redemptione, vide apud de Lugo, l. c. num. 60. Molin. d. 194. Valq. c. 8. de testam. §. 1. d. 6. num. 15. &c.

## C A P U T VIII.

### De apertione, publicatione, executione testamenti.

*Quest. 759. Testamenti apertura quid & quotuplex?*

**R** Esp. primò apertura hæc est actus, quo scriptura ultimam voluntatem continens, vel potius membrana, charta, seu tabulæ, in quibus ea exarata aperturæ, resolutis ligaculis & obfignaculis, quibus eà clausa, aperiuntur, ut in iis contentorum qualitas & tenor inspiciatur & cognoscatur; per quæ posteriora verba indicatur finis apertionis, nimirum, ut dum frequentissima ex ipis testamentariis tabulis oriuntur controversiæ, quæ decidi & judicari non possunt, nisi inspectis cognitisque earum verbis ab iis, quorum verisimiliter interest, qualiter hæ tabulæ confectæ, an solennitates servatæ, quis hæres institutus, quibus relictum aliquid &c. notitia certa hauriatur. quamvis regulariter jure novo. L. unic. §. 5. c. de caduc. toll. (per quod mutatum est jus vetus, quo aliàs cautum erat, diem adeunda hæreditatis demum ab apertis tabulis testamenti cedere) ita apertio necessaria non sit, sed sufficiat constare hæredi de morte testatoris & conditione, sequæ institutionem esse taliter vel taliter. Dicitur autem: *scriptura continens ultimam voluntatem*: quia vox *testamenti* hic sumitur in sensu latissimo, ut comprehendat etiam testamenta imperfecta, injusta, falsa, in summa omnem voluntatem ultimam. Lauterb. in ff. testam. quemad. aperian. inspic. §. 2. Muller. ibid. ib. 41. lit. y.

2. Resp. secundo: apertura alia est nuda & simplex, quæ fit sine omni solennitate solius notitiæ & cognitionis gratiæ; fierique solet coram aliquot viris honestis. Lauterb. l. c. Alia solennis, quæ est apertio testamenti privati coram iudice competente, convocatis hæredibus & omnibus, quorum interest, etiam testibus, qui sigilla & subscriptiones suas recognoscant, facta.

*Quest. 760. A quibus fiat hæc apertio, quibus concedenda, & qualiter facienda?*

**R** Esp. ad primum: perinde est, à quo aperitur testamentum privatim factum, siue is sit hæres, siue notarius, siue Judex; cum de hoc Ju-

ra in specie nihil statuerint, modò fiat debito modo, de quo paulò post. si tamen alius est, qui testamentum suscepit, ab alio, quàm ab eo apertura fieri nequit. Brunem. ad l. 2. c. testam. quemad. Muller. ibid. th. 42. lit. a.

2. Resp. ad secundum: tametsi hæc apertura potissimum ad hæredem spectet, peti tamen etiam ab aliis & omnibus potest, quorum interest, etsi hæres non sint: omnibusque illis concedendi facultas inspiciendi illud, legendi describendique. L. 1. §. 2. ff. testam. quemad. aper. unde & testamentum, etsi aliàs privatim à privatis, adhibitisque testibus privatis confectum sit, & non ratione autoritatis publicæ, dicitur instrumentum publicum. Lauterb. cit. §. 2. modò prius se calumniandi animo aperturam non desiderare juraverint. per l. 3. c. eod. Interdum tamen Prætor vel Judex totum inspicere & describi non permittit, puta, quò ad partem, quam testator aperiri prohibuit expressè vel tacitè. v. g. in qua pupillares tabulæ sunt descriptæ. cit. l. 3. §. 3. Inst. de pupillari substitu. ubi hanc earum aperturam & lecturam prohibuisse videtur, modò eas testamento adjectas specialiter & seorsim signaverit, licet superscriptum non sit, ne aperirentur. quarum proinde aperturam & inspectionem Prætor non nisi causâ cognitâ permittit; cum hæc apertio sine justa causâ faciendâ non sit ante mortem pupilli. Muller. ib. 41. lit. e. Lauterb. l. c. §. 4. uti etiam Magistratus non concedat aperiri tabulas illius, qui adhuc vivit, vel vivere existimatur aut dubitatur. l. 2. ff. testam. quemad. aper. Muller. loc. more citand. Item partem, in qua ad alicujus ignominiam quid continetur; cum nullius interfit, partem, quæ ad alterius ignominiam spectat, inspicere. cit. l. 3. Lauterb. Muller. LL. cit. Item partem, quæ diem & consulem complectitur. ead. l. 3. §. 2. §. 6. ff. eod. eò quòd cognito tempore, facillè aliud astrueretur testamentum, quasi idem esset cum vero. Lauterb. l. c. §. 4. non secus ac alia instrumenta, quorum editio ante litem contestatam instructionis, non probationis causâ sine die & consule edi solent. juxta l. 1. §. 1. de edendo. Muller. cit. ib. 41. lit. e. Porro si inspiciendi copia negetur hæredi à possessore dictarum tabularum, negante se eas habere, aut oportere exhibere, hæres ad eas vindicandas uti potest rei vindicatione, & actione ad exhibendum experi-

experiri juxta *cit. l. 3. §. l. 4. §. 8. ff. ad exhibend.* Si verò negetur copia alteri petenti, qui haeres non est, & possessor earum confiteatur se eas possidere, Judex ex officio nobili possessorem ad exhibendum & aperturam compellet juxta *l. 2. §. fin. ff. §. l. 1. 2. 3. c. testam. quemad.* & datur contra eum, deficiente ordinaria, extraordinaria persecutio, ut Mull. *eod. tit. th. 41. lit. d.* cum Gail. *l. 1. obf. 106. num. 5.* Si verò possessor neget se eas possidere, aut oportere exhibere, recurrendum est ad interdictum de tabulis exhibendis juxta *l. 2. ita ferè Lauterb. §. 5. Muller. l. c. liberatur tamen, si jussum juret, se eas nec possidere, nec desuisse dolo possidere per c. fin. de fide instrum. ut Muller. l. c.*

3. Resp. ad tertium: apertura non solennis, ut dictum, faciendi coram quibusdam viris honestis, qui postea tabulas inspectas iterum obfirmare solent, ut ferventur ad futuram publicam & solennem aperturam *cit. l. 2. c. testam. quemad.* Solennis autem apertura faciendi imprimis coram Judice competente, qualis hodie est Judex ordinarius, ubi sita haereditas, vel apud quem facta testamenti insinuatio, qui juxta leges & mores ejusque loci procedat, officiumque suum exhibeat, ubi necesse est, ad complendum possessorem ad exhibendum juxta jam dicta. quanquam etiam hodie dum apertura fieri possit coram notario, ut Muller. *th. 43. spectando in his omnibus consuetudinem loci.* Dein convocatis & citatis per eum omnibus, quorum interest, haeredibus, legatariis, praesertim ab intestato successuris; & quidem specialiter, si certi sunt, generaliter, si incerti, *cit. l. 2. Lauterb. l. c. Muller. th. 42. lit. b.* ubi etiam cum speculat. *ad tit. de instrum. edit. §. 4. num. 26.* quòd nisi vocentur illi, quorum interest, instrumentum fidem non faciat, licet Judicis ordinarii autoritate publicatum. Item coactis convenire testamenti signatoribus seu testibus, vel majore eorum numero ad sigilla sua recognoscendum vel differendam. *l. 4. §. 6. ff. testam. quemad.* etiam sub juramento desuper examinatis, quòd rogati fuerint ad subscribendum à testatore. absentibus verò, ne, dum non sine magno incommodo adesse possunt, officium ipsis foret damnosum, mittendo notarium vel officialem ad domum, ut recognoscant, & juramentum recipiant. Lauterb. Muller. *LL. cit.* vel si causa urgens hæc non permittat, interea coram aliis optimæ opinionis viris faciendi apertionem, & postea mittendo signatoribus ad inspicienda sigilla. *l. 7. ff. §. l. 2. c. testam. quemad.* ita ut eorum aliquo sigillum suum simpliciter non agnoscente, seque unquam apposuisse negante, tabulæ sint suspectæ per *l. 1. §. fin. ff. eod. Muller. cit. th. 42. lit. 3. Lauterb. cit. §. 3. cum Hahn ad Wesenb. cit. tit. v. suspecta.* dum tamen appareat sigillum proprium; eò quòd reperiantur in eo arma vel literæ descriptæ, recognoscentis dubitatione seclusa, praesumitur testamentum validum & non suspectum; cum in dubio praesumatur pro sigillo per *l. 20. ff. de testam. milit.* & quidem fortius quam pro negante Muller. *l. c.* ubi etiam cum Menoch. *remed. possess. ad pisc. 4. num. 662.* quòd jure communi tabulæ aperiendæ intra tertium vel quartum diem à morte testatoris prolata; ab absentibus verò intra eosdem, postquam adessent, ut Idem *th. 43.* verum juxta novissimas Justiniani constitutiones intra dies novem abstinendum ab his actibus; cum haeredes & cognat sine turbatione luctus iis interesse nequeant. De cætero aperiendæ sunt tabulæ authenticæ, ita ut non sufficiat earum exemplar jam apertum esse. Lauterb. §. 4. juxta *l. 12. ff. eod.*

R. P. Leurr. jur. Can. Lib. III.

Quæst. 761. Publicatio testamenti an distinguatur ab ejus apertione, quid sit, & à quo fiat?

1. Resp. ad primum: apertionis & publicationis vocabula ab aliquibus minis rectè & contra juritextus promiscue sumuntur; cum apertura precedat, ut securæ publicationi (ubi eà opus; publica enim testamenta, id est, Principi oblata & actis insinuata publicari necesse non est; quia jam publicæ cam autoritatem habent, ut Lauterb. *l. c. §. 8.* uti etiam juxta Brunem. *ad l. 1. c. testam. quemad. num. 4.* Hahn. *ad Wesenb. eod. v. sigilla,* testamenta facta adhibito Notario publico) deserviant. Carpz. *p. 3. c. §. d. 14.* Lauterb. *l. c.* quin & hæc duo inter se separari possunt in testamento sola nuncupatione constante; cum id aperiri propriè non possit, potest tamen publicari; & loco aperturæ solennis est testium examen. Muller. *l. c. th. 41. lit. y.* cum Brunem. *ad l. 4. ff. testam. quemad. & Barrii de conjec. ultim. vol. l. 1. lit. n. n. 6.*

2. Resp. ad secundum: publicatio testamenti eff, dum testamentum, quòd privatim confectum privatorum testium autoritate sustinetur, ad formam quandam publicam redigitur, ut fidem publicam & probationem consequatur, & dum originale fortuito casu interiisset, parata fides esset, unde aliud exemplar depromi posset Brunem. *ad l. 28. c. de testam. Lauterb. l. c. Muller. cit. th. 4. c. lit. b.*

3. Resp. ad tertium: fit ab eo, qui testamentum suscepit Muller. *l. c. th. 42. lit. x.* cum, ut dictum *resp. 1.* ab alio fieri nequeat apertio.

Quæst. 762. Executor quis, an de essentia testamenti, & quotuplex aicitur?

1. Resp. primò: executores in præsentia dicuntur certæ personæ, quorum officium est, ut defuncti legitimam voluntatem impleant, seu ad effectum deducant. Ad istiusmodi singulares executores inducendos causa movens fuit favor ultimarum voluntatum, pietas & interesse publicum; dum aliàs sæpè perfidia segnitie variisque impedimentis ortis ex absentia, morbo, negotiis haeredum, quibus aliàs incumbit illa executio, dictæ defunctorum voluntates retardarentur, vel etiam omnino negligenterentur.

2. Resp. Secundo: tamen hodie vix ullum fiat testamentum, in quo non unus vel plures executores pro arbitrio testatoris, quibus ea cura implendi omnia, quæ testator disposuit, committatur, constituentur; non tamen sunt de substantia, sed ad accidentalialia testamenti spectant; cum executore non ordinato, executio competat haeredi. Cornæus. *l. 4. conf. 76. num. 12.* Muller. *in ff. de acquir. velomit. hered. th. 3. r.* qui etiam inde factum ait, ut nullus in Jure tam Canonico quàm civili de executione hac exister titulus, sed hinc inde solum fiat mentio. Unde posteriores Jurisconsulti & commentatores liberam omnino nacti occasionem ceperunt de executoribus disputare & scribere extra forum, ut ait Muller.

3. Resp. tertio: ad imitationem Tutorum triplicis generis sunt & dantur executores: nimirum testamentarii, legitimi, dativi. Testamentarii dicuntur, qui per ultimam voluntatem testatoris in testamento designantur. Legitimi, quibus ab ipso Jure Canonico vel civili defertur potestas defendendæ seu exequendæ voluntatis defuncti: quales in casu omnium in testamento executorum sunt ipsi haere-

hæredes, qui integram voluntatem defuncti, etiam quò ad legata pia, exequi possunt ac tenentur adita hæreditate. Abb. in c. 3. h. t. num. 4. Covar. *ibid.* n. 11. Molin. *tom. 2. de l. & l. d. 247. num. 2.* Laym. *l. 3. tr. 6. c. 11. q. 1.* Pirh. *h. t. num. 101.* Wiestn. *num. 275.* cum communi juxta c. 3. & 6. h. t. l. 28. c. de Episc. & cler. Exceptis tamen, quæ in redemptionem captivorum & alimenta pauperum relicta, quorum executio non ad hæredem, sed ad loci Episcopum, tanquam communem pauperum & miserabilium personarum patrem spectat de jure communi, ut AA. citati (quanquam Laym. in hoc quoque attendendam consuetudinem loci moneat) Arg. Jurium citatorum. Quales quoque sunt ex lege Episcopi loci & episcopalem jurisdictionem habentes in casu deficientium aut negligentium aliorum executorum à testatore designatorum, præsertim quò ad causas pias. Abb. *l. c.* Molin. *l. c. num. 4.* Laym. *l. c. num. 4.* Sylv. *v. testamentum. 2. q. 9.* Arg. *c. 17. h. t.* si tamen testator substituisse alium, hoc casu ad hunc, & non ad Episcopum devolveretur executio. Sanch. in *decal. l. 6. c. 11. du. 55. n. 7.* Molin. *d. 251. dubium præterea.* Valq. *de testam. c. 9. §. 3. du. 2.* de Lugo *tom. 2. de j. & j. d. 24. n. 337.* ubi tamen testator non providit, non potest jus illud ab Episcopo auferri, quod legibus ei competit. AA. cit.

4. Executores dativi dicuntur, qui à Judice vel Magistratu dantur in casu, quo hæres institutus executor esse nequit, aut deputatus in testamento munus exequendi accipere non vult, vel non potest. Reiffent. *h. t. n. 773.* Wiestn. *n. 275.* citatusque ab eo Haunold, *tom. 2. de j. & j. tr. 6. n. 644.* quanquam enim, ut Muller. *l. c.* hujusmodi executores à Magistratibus datos fuisse nullum in Jure exitet testimonium; cum tamen publicè expediat. suprema hominum judicia exitum habere. *l. 5. ff. testam. quemad.* & ad officium Prætoris pertineat voluntates defunctorum tueri. *l. 1. ff. si quis omis. caus.* Jure Romano nihil obtare videtur, quò minus Magistratus in subsidium ultimarum voluntatum executores constituat. Ac proinde posse dominum territorii in suo territorio constituere executorem ultimarum voluntatum suorum subditorum, ait Idem cum Lauterb. *de execut. ult. vol. c. 5. n. 9.* quod idem dicit cum Mevio *ad jus Lubec. l. 1. q. 2. n. 42.* de municipiis, quòd iis concussum vi præscriptionis, quæ statuta præscribunt, deputare istiusmodi executorem statutarium, quin & hodie dum hanc potestatem constituendi executorem jure ordinario pertinere ad omnem jurisdictionem inferiorem seu bassam. talis autem magistratus, constituere valens executorem, competens est magistratus testatoris, non hæredis aut alterius personæ, etsi bona non sint in ejus potestate. Muller. *l. c.* Principum autem & statuum Imperii testamentis & ultimis voluntatibus in casum defectus non nisi Camera vel Imperator dare potest executorem. Muller. *ibid.* cum Myler. *de princip. & statib. Imper.*

**Quest. 763.** *Quis possit esse executor testamenti, & in specie, num religiosi esse possint executores?*

1. **R**esp. primò: executores esse possunt omnes, tam laici quàm ecclesiastici, tam simul quàm seorsim. c. Joannes. *h. t.* Sanch. *l. 4. conf. c. 1. du. 40. num. 1.* de Lugo. *l. c. num. 324.* Laym. *l. c. num. 2.* Pirh. *h. t. num. 102.* Item tam mares quàm femina. Arg. *c. 3. h. t. l. à filio. ff. de legat. alim.* Bart. *ibid.* Covar. *de testam. c. 17.* Lugo, Laym.

Pirh. *LL. cit.* cum comm. sic mater non secus ac esse potestATRIX, ita etiam executrix. & quamvis transiens ad secundas nuptias amittat tutelam filiorum, non tamen amittit officium executricis in testamento primi viri sui relicto. de Lugo. *l. c.* Non tamen nomine fratrum in executores designatorum veniunt forores; nisi ubi testator non habuit nisi unum tantum fratrem & unam tantum sororem; tunc enim sub fratribus in plurali nominatis comprehenditur etiam sororem, censet. de Lugo. *l. c.* Item tam hæredes quàm alii extranei Molin. *d. 247.* Laym. Pirh. *LL. cit.* Item minor 25. annis, major tamen 17. annis. Gl. in *c. 2. h. t. v. religiosus.* Molin. Lugo, Pirh. Laym. *LL. cit.* Reiffent. *h. t. num. 776.* Arg. *generaliter. §. fin. de procur. in 6.* per quod esse potest procurator ad negotia. Item excommunicatus & servus. de Lugo. *l. c.* remittens ad Molin. *tom. 1. d. 247.* Valq. *de testam. c. 9. §. 3. du. 1.*

2. Resp. secundò: religiosi omnes, etiam claustrales (quibus ad hoc licentiam concedere possunt eorum superiores. Reiffent. *num. 781.*) esse possunt executores, tam ad causas profanas quàm pias; non tamen sine licentia expressa vel tacita sui superioris (intellige localis seu prælati conventus, puta Abbatis, Prioris, guardiani &c. qui eam dare potest etiam independentè à Provinciali, Generali. ut Pirh.) Sanch. in *decal. l. 6. c. 11. num. 11.* de Lugo. *num. 325.* Laym. *l. c.* Pirh. *num. 108.* Reiffent. *n. 777.* per *c. 2. & Clem. unic. h. t.* Unde & superior ipse potest esse executor absque ulteriore licentia; cum regulariter superiores uti possint facultate, quam aliis concedere possunt. Reiffent. *num. 780.* cum Sylv. Molin. & communi. Quin & posse religiosos extra monasterium aliquo beneficio provisos degentes exercere hoc munus sine licentia superioris, asserit Idem cum Gl. in *cit. c. 2. v. religiosus.* Possè verò hanc licentiam semel datam revocari à superiore re integra, et si à re capta revocetur, et si religiosus obedire teneatur, posse tamen superiorem ab iis, quorum interest, cogi ad restituendam licentiam, addit, de Lugo.

3. De cæterò, num executio suscepta & facta citra licentiam superioris valeat, controvertitur inter AA. affirmant apud Reiffent. *num. 778.* Felin. in *c. 2. de judic.* Laym. *l. c. num. 4.* Sanch. *l. c. num. 15. & 16.* Pirh. *num. 108.* uti & apud Wiestn. *num. 281.* Menoch. *l. 2. præsump. 46. num. 14.* Azor. *Inst. mor. p. 2. l. 12. c. 11. q. 1.* eò quòd SS. Canones prohibeant talem executionem nullibi tamen annullent. argumento etiam sumpto ex *L. filiusfamil. §. veterani. ff. de procur.* ubi quòd miles, etsi prohibeatur procurator esse in judicio, si tamen non repellatur, valeat actus ab eo gestus. Negant è contra Covar. *de testam. c. 17. num. 2.* Molin. *d. 247. n. 9.* Sylv. Anchar. Francus. hanc sententiam probabiliorè & conformiorè juri putat Reiffent. *l. c.* Arg. *l. 6. c. de ll.* ubi decernitur, ut ea; quæ lege prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur, licet legislator prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutilia esse debere. qualia similia habeantur. *reg. 1. fur. in 6.* Pari modo inter AA. nostræ societatis controvertitur, num religiosus societatis cum sola licentia sui Provincialis vel rectoris esse possit executor. Negat hoc ipsum, & talem peccare mortaliter astruit Sanch. *l. c. a. 11. num. 18.* eò quòd in nostris constitutionibus *p. 6. c. 3. §. 7. in declarat. lit. D.* hæc licentia reservetur soli generali. & licet constitutiones nostræ per se non obligent sub mortali; quia tamen religiosi de jure communi sub culpa mortali prohibentur sine

sine licentia superioris exercere hoc munus; & hanc licentiam in societate solus generalis concedere possit subditis societatis, ipsi (etiam Provinciales & locorum superiores) peccabunt mortaliter, exercentes hoc munus sine licentia generalis, non quidem directè vi constitutionum suarum, sed vi juris communis. E contra de Lugo *l. c. num. 326.* ait, hoc ipsum semper visum sibi difficile; eò quòd de jure communi etiam aliis superioribus competat potestas concedendi subditis hanc licentiam, ita ut, si cum hac licentia exercent dictum munus, non peccent mortaliter, nec agant contra legem Canonicam. in citato autem loco constitutionum notarum referretur solum generali facultas dispensandi in constitutione nostra, quã illud munus prohibetur nostris; & constitutiones nostræ non obligent ad culpam, consequens sit, ut subditus societatis agens contra illam constitutionem, non obtenta legitima ejus dispensatione, ex hoc capite non peccet mortaliter, uti nec superior immediatus eam facultatem concedens; nec etiam peccet contra legem Canonicam; cum hæc solum prohibeat exercitum hujus muneris sine consensu sui Prælati immediati; regula autem nostra non auferat ab aliis superioribus nostris potestatem, quam de jure communi habent, sed solum non concedit potestatem dispensandi in prohibitione facta in eadem constitutione. ita Lugo, ut videtur, probabilis. Porro tamen Fratres minores nullatenus executores esse possint, etiam ad causas pias, nequeant quæ ad hoc eis eorum superior concedere licentiam juxta clarum textum *Clement. exivi. de V. S.* posse tamen juxta eandem *Clement. e.* eos dare consilium quòd ad executionem testamentorum, cum citatis à se Covar. *de testam. c. 17. num. 1.* Sanch. *l. 6. mor. c. 11. num. 28.* Molin. *d. 247. num. 12.* Barbof. *in cit. Clem. exiv. num. 26.* asserit Reiffenst. *h. t. num. 782.* idque etiam testatores mandare posse executoribus, ne sine eorum consilio procedant; quòd tamen executores sequi non tenentur, ut Idem cum Sanch. & Barbof. *LL. cit. Pih. h. t. num. 112.* Rodriq. *qq. regular. tom. 3. q. 70. a. 2.* Quin & iisdem Fratribus à testatore committi posse, ut ipsi unum vel plures denominent executores: uti & mandare executori, ut non nisi iis pauperibus & causis piis, quos Fratres elegerint aut commendarint, applicent relicta, habet Reiffenst. *n. 783.* citans Abb. *in Clem. religiosus. de religios. n. penult.* Covar. Barbof. Rodriq. *ubi ante, Sanch. l. c. n. 32. & 41.* contra Molin. *cit. d. 247. n. 12.*

**Quæst. 764. An & qualiter quis ad acceptandum munus executoris illudque exequendum cogi possit?**

**R**esp. primò: executor in testamento designatus regulariter cogi nequit ad munus illud acceptandum, etiam si sit propinquus, etiam in ordine ad causas pias. Sanch. *in opusc. tom. 2. l. 4. c. 1. du. 42. an. 4.* Delben. *de immunit. eccl. c. 8. du. 21. f. 20. & c.* Ubi tamè semel illud acceptavit, sive expressè sive tacitè, etiam invitus cogi potest ad illud non dimittendum. *c. Joannes. h. t. & ibi Abb. n. 3.* Molin. *tr. 2. d. 248. n. 3.* Covar. *de testam. c. 19. n. 3.* de Lugo *l. c. n. 129.* Pih. *h. t. n. 113.* cum commun. est enim officium executoris ad instar procuratoris, quòd licet à principio sit voluntarium, post susceptum tamen mandatum necessariò implendum est. *l. 17. c. de procur. Tacitè autem illud acceptasse ex facto aliquo indicatur. ut dum actum aliquem istius muneris exeruerit, vel literas, in quibus ei officium executoris offerretur, scienter admisit, nec contradixit aut protesta-*

*R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III.*

tus est. ut Arg. *Clement. 1. de procur.* tradit Bartol. *in l. 124. ff. de constit.* Secus tamen, si præsens sciat se constitutum executorem taceat, nisi sit propinquus vel amicus testatoris. Abb. Covar. Pih. *LL. cit.* Dixi tamen: *regulariter.* quia licet etiam sine causa non acceptans illud non peccaret graviter; ubi tamen sine gravi damno suo posset rebus proximi consulere acceptando illud, in quibus aliis proximus graviter læderetur, tenebitur illud sub gravi peccato acceptare & exequi. Lugo *l. c.* quin etiam potest Episcopus ob causam rationabilem clericum vel etiam laicum (uti & Judex secularis laicum suæ jurisdictioni subiectum. Arg. *l. unic. c. qui pro sua jurisd.*) in testamento denominatum executorem cogere, ut hoc munus suscipiat, eidemque mandare, ut voluntatem defuncti exequatur. Pih. *l. c.* Wiestn. *n. 284.* Reiffenst. *n. 785.* cum communi. ex ea ratione quòd ad Episcopum, quòd, cum defunctus, ut ultima sua voluntas adimpleatur, agere per seipsum nequeat, annumerari possit personis miserabilibus & auxilio destitutis, quibus subvenire est Judicis ecclesiastici sive Episcopi. per *c. super quibusdam. de V. S.* Wiestn. *n. 284.* Abb. *in c. si heredes. n. 7.* Covar. *ibi.* cum communi. An verò in hoc casu ab Episcopo compulsus suscipere & exequi hoc munus dicatur executor dativus, aut etiam commissarius & delegatus Episcopi, ut vult Reiffenst. *l. c.* meritò dubitari potest; cum rectius talis dicatur ab Episcopo constitutus, non nisi in casu, quo testator neminem nominasset.

**2.** Resp. secundo in genere: potest Episcopus à potiore, uti & magistratus secularis executorem in testamento denominatum, postquam munus delatum admisit, compellere ad illud exequendum. est communis & certa. idque, etiam si testator prohibuisset illos compelli juxta expressum textum *c. tua. 17. h. t.* ex ea etiam ratione, quòd privata persona nequeat constitutionem publici Juris ecclesiastici vel civilis immutare aut impedire, juxta *c. requisivisti. h. t.* juncta *Gl. in cit. c. tua. v. interdicti.*

**3.** Resp. tertio in specie: competit tam Judici laico quàm ecclesiastico nempe Episcopo hæc potestas monendi & compellendi executores laicos (clericos verò non nisi privativè Episcopo, utpote in quos Judici laico nulla est jurisdictio) ad exequendam voluntatem defuncti, sive hereditas & legata sint ad causam profanam, sive ad causam piam; ita ut hæc causa sit mixti fori, & detur locus præventioni. Abb. *in c. si heredes. h. t. n. 3.* Covar. *ibidem. n. 3.* Molin. *l. c. d. 250. n. 1.* Pih. *n. 115.* Reiffenst. *n. 788.* Et quidem, quòd hæc potestas competat Episcopo, si testator & executor est laicus, constat ex *cit. c. tua.* item *ex c. 3. & 6. h. t.* & tenent expressè cum *Gl. in cit. c. si heredes. v. ab Episcopo.* Abb. *l. c. n. 7.* Hofst. *in t. Joannes. h. t.* Molin. *l. c. n. 5.* Covar. Pih. *LL. cit.* Arg. *ejusd. c. si heredes.* ubi sine ulla distinctione datur Episcopo facultas compellendi executores ad exequendas voluntates defunctorum ex ratione data *resp. 1.* quòd ea quoque competat Judici laico, dum dispositio est ad causam piam, & testator laicus, constat ex *Amb. hoc amplius. de fideicom. & novell. 131. c. si quis ad satisfactionem. 10.* ubi etiam legata pia providentiã locorum Episcopi & Judicis civilis jubentur compleri. Plura de his paulò post, ubi, intra quòd tempus teneatur implere votum defuncti.

**Quæst. 765. An executor munus suum delegare possit alteri, illudque transcat ad heredes illius?**

**R**esp. posse Episcopum, ubi executio ad illum devolvitur, nullo à testatore denominato, vel

denominato non potente vel nolente exequi, utpote ad quem tanquam Judicem ordinarium eo casu pertinet munus executoris delegare illud alteri, habet communis sententia & praxis, & juxta illam id astruit. de Lugo. l. c. num. 330. cum Sanch. l. c. du. 42. num. 16. & in genere id semper posse executorem legitimum, ait Muller. in ff. de acquir. velomit. hered. ib. 32. Executor vero testamentarius (idem videtur de dativo) utpote qui respectu executionis sibi oblata & commendata non sunt Judices ordinarii, & in quibus videtur industria personæ electa, alteri id munus delegare seu committere nequeunt. de Lugo. num. 328. cum Sanch. potest tamen, ut Idem cum eodem, executor talis negotium aliquod particulare alibi exequendum committere alicui alteri. Unde jam etiam munus illud ad heredem suum non transmittit. Sylv. v. testamentum. 2. q. 4. Lugol. c. Pirh. num. 133. Arg. c. 2. §. sane. h. t. in 6. juncta Gloss. communiter recepta. Et quamvis quoque onus personale executoris non transeat ad ejus heredes, ut Pirh. cum Anchar. in cit. t. 2. q. 7. transeunt tamen in eum obligationes, quas in exequendo contraxit. v. g. quia damnum intulit, ut Idem cum Bartol. in l. a filio. ff. de adm. & cib. legat. Quod si tamen etiam quis designatus est executor, non ratione personæ, sed ratione dignitatis. v. g. Archiepiscopo Trevirensi, qui aliàs non erat propinquus testatoris, transit hoc munus ad successorem in dignitate Lugo. l. c.

*Quæst. 766. An ab executore, antequam officium suum aggrediatur, exigendum juramentum, satisfactio & cautio?*

**R**esp. quamvis juramentum, quo promittant se bona fide ac diligenter administraturos hoc suum officium, exigendum ab executoribus velit Jo. de Arena. de commiss. num. 24. apud Muller. l. c. hanc tamen sententiam lege destitui apud eundem ait Lauterb. de execut. ult. vol. c. 9. num. 11. Ubi etiam, licet in multis assimilentur tutoribus & curatoribus, non tamen tenentur de fideli executione satisfacere vel cavere Muller. l. c. citatis. l. 21. §. 4. de annal. legat. l. 26. §. quando dies legat. ac præcipue l. 28. & 49. c. de Episc. & Cler. quæ etsi pium executorem diligentissime instituunt, in iis tamen de hac satisfactione & cautione altum silentium.

*Quæst. 767. Intra quod tempus voluntas defuncti mandanda executioni, & quæ pœna negligentia in hoc commissa?*

**I.** **R**esp. ad primum: si tempus hoc determinatum à testatore, ultra illud differre non licet executionem; pro lege enim tenenda est voluntas testatoris juxta *novell. 22. c. 2.* tempus tamen illud prævenire licet; quia id non est contra voluntatem testatoris; nisi forte is aliud expressè disposuisset. Abb. in c. 3. h. t. Molin. d. 251. num. 1. Pirh. h. t. num. 119. Wiestn. 288. cum communi. Incipit autem hoc tempus à die scientiæ mortis & aditæ hereditatis, ante quam executioni testamenti locus non est. l. 3. §. si quis heredi ff. de stat. liber. Abb. in c. 3. h. t. num. 10. Covar. *ibidem*. num. 1. Pirh. l. c. si autem testator tempus certum non determinavit, tenetur executor quam primum post aditam hereditatem cessante impedimento exequi ultimam voluntatem. Abb. in c. si heredes. h. t. num. 5. Covar. num. 4. Sylv. v. testam. 2. q. 6. Pirh. l. c. Laym. l. 3. tr. 5. c. 11. num. 12. Arg. l. 47. ff. de

legat. 1. ubi expressè præcipitur, ut legata sine mora præstentur. ex ea etiam ratione; quod legatarius mox ab adita hereditate evadat dominus legati. Unde etiam Sylv. Laym. & c. censent executorem peccare mortaliter, si ex negligentia executionem diu differat. His non obstantibus, ut paulo post dicitur, quod executoribus ad causas profanas annus, ad causas pias sex menses concedantur; cum tempus illud solum præfiguratur ad incurrendas penas, si intra illud executores exequi negligant. Unde

2. **R**esp. ad secundum: si executor semel monitus à Judice sive ecclesiastico sive laico (uti moneri potest & debet, ubi negligens est) intra annum non implet voluntatem defuncti, potestas exequendi devolvitur ab Episcopo eo anno elapso, præsertim quò ad causas pias, ut expressè habetur. *novell. 131. c. 11.* Covar. in c. 3. h. t. num. 8. Abb. num. 11. Reiffenst. num. 797. Pirh. num. 119. An verò sufficiat ad hanc devolutionem evitandam, opus executionis esse inchoatum intra annum; an verò requiratur esse etiam absolutum, non convenit inter AA. posterius tenent cum Gl. in cit. c. 3. v. intra annum. Jo. And. & alii apud Fagn. *ibid.* num. 7. quod ipsum tamen cum Fagn. bene limitat Pirh. nisi opus sit ita magnum, ut intra annum compleri nequeat; eò quod tunc subit justa causa, ob quam Episcopus tempus prorogare potest. Prius absolute tenet Abb. num. 9. De cætero, etsi valde probabile sit, hoc tempus à jure vel homine statutum executori esse continuum, & currat etiam ignorantia & impedio, ut tenent Durand. in specul. l. 7. p. 2. tit. de instrum. addit. §. 13. num. 39. cum præfixum sit, non in odium negligentia, sed in favorem eorum, quibus in testamento aliquid relictum. contrarium tamen tanquam probabilius cum Abb. *in c. cum esse. h. t. num. ult.* Covar. in c. 3. h. t. num. 3. & 4. Barbof. in collectan. *ibid.* num. 3. tenet Pirh. h. t. num. 122. ex ea ratione: quod dum tempus non præfixum in merum favorem alterius, sed simul in pœnam negligentia, uti in præsentem contingit, legitime impedito non currit. Insuper executor perdit omne id, quod ei aliàs competit, sive hereditas, sive legatum sit, cum omnibus fructibus; Molin. cit. d. 251. num. 3. Covar. in c. cum heredes. h. t. num. 6. Pirh. num. 126. (ubi etiam, quod ut in continente privetur illis, requiratur bina monitio) Wiestn. l. c. juxta expressum textum. *Arb. hoc. amplius. de fideicom. & cit. c. si heredes.* quamvis, ut Pirh. & Wiestn. Secundum aliam non minus verisimilem interpretationem ejusdem *cap.* traditam ab Abb. *ibid.* num. 5. & Covar. num. 4. hæres rebus hereditariis interdicatur, quousque voluntatem defuncti impleverit. Excipi tamen à pœna privationis totius hereditatis ob dictam negligentiam executionis heredes necessarios, utpote quibus, etsi negligentes sint, etiam quò ad legata pia exequenda; saltem sua portio legitima, veluti iis, non ex voluntate testatoris, sed ex dispositione juris, & quasi jure naturæ debita, non sit auferenda, tradunt Abb. l. c. num. 8. Covar. num. 4. nisi forte, ut Pirh. hereditas sit talis, quæ dividi non potest. v. g. sit regnum vel ducatus. Sed neque solus hæres, dum ipse & executor, sed etiam quilibet alius executor in illo casu negligentia privatur omnibus in testamento ei relictis, & insuper privatur munere executoris, ut Pirh. n. 128. cum Sylv. Molin. Covar. Etsi autem hæc pœna ipso jure incurrat, requiritur tamen ad executionem illius declaratio & sententia condemnatoria, ac proinde ante hanc non obligatur in conscientia. Covar.

Covar. in cit. c. *heredes*. n. 8. Mohin. cit. d. 251. n. 6. Pirh. l. c. Licet etiam hæc pœna non incuratur, nisi elapso anno, potest tamen Judex Ecclesiasticus per censuras, Laicus per interdictum administrationis bonorum defuncti aliasque pœnas arbitrarias, etiam ante annum, hæredes aliosque executores compellere ad exequendum, etiam quò ad causas profanas. Pirh. num. 129. cum Abb. & Covar. Si verò executor bis monitus ab Episcopo dispositionem ad causas pias exequi neglexerit, etiam ante annum privatur commodis ex testamento ei aliàs competentibus, ut juxta expressum textum. *Novel. 131. c. 11. vers. si autem qui*. Covar. l. c. n. 5. Abb. num. 5. Laym. l. c. n. 13. Bart. & Salicet. in *Auth. hos amplius. c. de fideicom.* quos citat Reiffent. num. 795. addens, quòd, si executor neget relictum piis causis, condemnandus sit in duplum juxta §. *mixta. Inst. de act.* cum communi, ut ait, DD. & AA. jam citatorum. De cætero si executor cessante impedimento legitimam dispositionem ad pias causas intra sex menses (intellige, etiam citra monitionem) à die insinuati testamenti numerandos non exequatur, in pœnam restituere debet legata unà cum fructibus & emolumentis, quæ à die mortis testatoris inde percepti potuissent, ut habent verba *Novel. 131. V. si autem legatum*. Reiffent. n. 796. testans de communi. Devolvi quoque in hoc casu potestatem exequendi ad Episcopum, tenent Abb. in cit. 3. num. 11. & Molin. d. 251. num. 2. apud Pirh. num. 23. qui tamen ipse ait, nullo jure expresso id probari posse. Illud hic circa dictas pœnas negligentia executoris notandum; quòd si circa eas pœnas incurendas testator ipse quid statuerit, id servandum; eò quòd, licet testator, utpote non habens jurisdictionem in executores, non possit ei imponere pœnam, possit tamen sub nomine pœnæ, ei adimere bona eidem legata vel relictà, si intra certum tempus voluntatem suam & jussu non fuerit executus. quin & hæredi, si is legatum non solverit; imponere, ut illud solvat in duplum; eum testator de bonis suis possit disponere, apponendo gravamen, quòd voluerit. Pirh. num. 130. Porro si de alio executore non expressit, cui commodum, quò ob negligentiam privatur, sit applicandum, si quid ad piam causam dandum seu exequendum, succedere Episcopum in exequendo, habereque potestatem omne illud lucrum & commodum aliàs relictum executori negligenti, vindicandi, & ad pias causas expendendi, tradit Idem cum Molin. d. 252. n. 4. juxta *Auth. licet c. de Episc. & Cler. & Auth. de Ecclesiis. tit. §. si quis autem pro redempt.* Si autem dandum quid erat ad causas profanas, succedere Judicem sæcularem (nisi is præventus ab Episcopo) eumque, deposito priore executore, omne commodum eidem deputatum deferre debere aliis cohæredibus vel collegatariis, aut etiam hæredibus ab intestato venientibus juxta ordinem præscriptum. in *Auth. de hæred. & falcid. c. 1. coll. 1.* & in *Auth. hoc amplius. de fideicom.* asserit Pirh. cum Molin.

*Quæst. 768. An & qualiter, dum plures constituti executores procedere debeant?*

**1. Resp.** Primò: pluribus à testatore executoribus simpliciter deputatis, uno eorum mortuo, aut in remotis agente, aut fortè exequi nolente, ne voluntatem testatoris impediri vel nimium differri contingat, poterit, etiam unicus ex deputatis, nisi testator aliud exprellerit, officium executoris injunctum liberè administrare & adimplere, ita verbote-

nus. c. *fin. h. t. in. 6.* Ubi tamen absens intra tempus executioni designatum adesse posset, ejus adventus expectandus erit. Gl. in cit. c. *fin. v. in remotis*, Lugo. l. c. num. 331. ubi: si non longè distarent, intellige absentes, essent vocandi & expectandi per aliquod rationabile tempus. Idem est de alio impedimento unius alteriusve ex sociis executoribus, si illud brevi vel intra terminum executioni præstitutum finiendum dignoscitur. Extra hunc casum singuli ex simpliciter denominatis sine aliis ad executionem procedere & agere aliquid nequeunt. Arg. cit. c. *fin.* nisi, quòd faciendum sit certum, v. g. si jussit certo à se denominato pauperi dari decem, ut cum Baldo & aliis Sanch. L. 4. *consil. c. 1. du. 44. n. 2.* de Lugo. l. c.

**2. Resp.** Secundò: plurium executorum constitutorum in solidum singuli possunt sine aliiis procedere; quidem si res aliqua certa exequenda. v. g. certa summa pecuniæ certo pauperi danda, possunt id singuli etiam aliis contradicentibus, in aliis verò non ita certis & determinatis id singuli nequeunt, majore cæterorum parte contradicente. ubi autem pars contradicentium æqualis, altera pars de arbitrio Episcopi præfertur in rebus piis; in profanis de arbitrio Judicis sæcularis. quòd tamen intelligendum, ubi est etiam æqualitas in qualitate; ita ut si unus sit masculus, præferatur femina; uti & consanguineus extraneo. ita de Lugo. l. c. cum Sanch. l. c. n. 13. & d. 45.

*Quæst. 769. Qualiter executor procedere debeat, ubi testator disposuit, ut hæreditas vel legata dividantur inter pauperes, nullam specificando.*

**1. Resp.** Primò in genere: executor in hoc casu, ubi electio pauperum vel causa piæ ei relictà, potest quidem eam pro libitu suo facere; non tamen ita absolute pro affectu suo particulari, quin teneatur consideratis considerandis ordinate procedere, & in distribuendo præ cæteris illos respicere, quos testator voluisse magis considerari prudenter præsumitur, ut ita præsumptam testatoris voluntatem allequatur. Bartol. *consil. 194.* Menoch. L. 4. *presump. 125.* Zypæ. L. 3. *consult. 3. de paroch.* Reiffent. h. t. num. 811. Ubi verò semel certos pauperes elegit, posse eum adhuc hanc suam electionem mutare, & eligere alios, censet Sanch. l. c. du. 64. apud Lugo. num. 338. eò quòd cum hac libertate & reservatione censetur electionem fecisse; unde per illam nullum videatur jus acquisitum pauperi.

**2. Resp.** Secundò in specie: proinde in hoc casu executor tenetur præ cæteris eligere pauperes civitatis vel loci, ubi testator habitavit; eò quòd meritò præsumatur voluisse his potius succurri. Menoch. l. c. num. 6. Tiraq. *de privil. cause pie. privil. 56.* & alii cum Gl. in c. 1. h. t. in 6. Inter pauperes loci magis & prius succurrendum magis indigentibus; cum id magis meritorium, adeòque potius præsumendum voluisse sic testatorem, D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 3. ad 1. Menoch. l. c. num. 10. Inter æqualiter egenos præferendi conjuncti & consanguinei testatoris, & inter hos magis conjuncti, aut magis egeni, sic exigente ordine caritatis. D. Thom. l. c. a. 9. Menoch. l. c. num. 3. Cæteris paribus meliores, quique bono communi utiliores. D. Thom. l. c. quales ex Menoch. l. c. num. 12. Reiffent. h. t. n. 815. Dicit Religiosos pauperes, quo nomine non

veniant Religiosi, qui sufficientem sustentationem ex redditibus stabilibus habent, pro quo citat Laym. *L. 3. ir. 5. c. 11. num. 8.* Secus autem esse de Religiosis ex incertis fidelium eleemosynis viventibus. Item ceteris paribus sceminae pauperes, utpote quibus paupertas periculosior, preferenda masculis. Baldus. *in L. in multis. ff. de stat. hom.* Menoch. *l. c. num. 7. & seg.* Reiffenst. *num. 817.* qui id praesertim applicat Monialibus pauperibus. Pauperibus vero otiosis & malevolis nihil dandum juxta illud *Eccles. 12.* de bono & ne receperis peccatorem: benefac humili, & non dederis impio: prohibe illi panes dare, ex ea etiam ratione, quod eleemosyna hujusmodi hominibus data sit occasio multiplicandi peccata. & ita post D. August. & D. Thom. apud Reiffenst. *n. 815.* DD. communiter.

3. Resp. Tertio: ubi testator legavit quid ad alias causas pias, nullam in specie determinando, in applicando spectanda major Dei gloria & animarum salus, utpote praesumptivè conformius menti testatoris. Possè etiam in hoc casu executores, dum est Religiosus, suo Monasterio, aut Clericus suae Ecclesiae, vel alius executor suis consanguineis sic legata applicare, citatis Sylv. *v. testamentum. 2. q. 2. dicto 5.* Sanch. *L. 2. mor. c. 11. n. 59.* Laym. *L. 3. ir. 6. c. 11. num. 6.* Pirh. *h. t. n. 109.* asserit Reiffenst. *num. 800.* eò quòd Monasterium proprium, consanguinei, &c. veniant nomine causae piae & pauperum; nec dici possit executor in causa propria processisse; quia causa Monasterii à persona professi, uti & causa consanguineorum à causa executoris distincta sit.

4. Resp. Quarto: posse quoque in hoc casu, quo testator in genere disposuit, ut hereditas vel legata in pauperes vel pias causas erogarentur, executores, si verè pauper est, sibi ipsi quaedam applicare, tenent D. Thom. *l. c. a. 9. ad 3.* Sanch. *L. 2. mor. c. 11. num. 54.* Menoch. *L. 4. presump. 125. num. 17.* Laym. *L. 3. ir. 6. c. 11. num. 6.* Pirh. *h. t. num. 109.* alique plures apud Sanch. & Menoch. eò quòd hac ratione impleteretur voluntas testatoris aliud nihil intendens, quàm ut detur eleemosyna, seu subveniatur proximo necessitatem patienti; & executor non sit deterioris conditionis, quàm alii pauperes, eique suum officium nocere non debeat. Contrarium tamen tenentibus apud Sanch. & Reiffenst. *num. 801.* Mant. *de conject. ultim. vol. l. 8. tit. 5. num. 9.* Anchar. *inc. 2. h. t. in 6. num. 3.* Abb. *in c. fin. de inst. num. 4.* ex eà ratione, quòd inter dantem & accipientem debeat esse distinctio. ad quam rationem facile respondent prioris sententia AA. dicendo, in hoc casu non deesse sufficientem distinctionem, dum non executor, sed testator det eleemosynam, habereque se executores ut merum ministrum. Quòd si tamen testator sciens executores esse pauperes, eundem praefererit, non posse tunc executores sibi aliquid applicare; eò quòd verisimile sit, quòd testator, si cognita paupertate executoris, voluisset eundem quoque ex relictis habere aliquid, id ei indicasset, tenent AA. pro priorè sententia citati, praesertim Menoch. & Sanch. quorum tamen posterior censet, executores posse adhuc aliquid sibi attribuire, dum testator scivit quidem eum egentem esse, non tamen scivit eum tam egentem esse.

5. Resp. Quinto: dum testator disposuit in plurali numero, ut quaedam distribuerentur inter pauperes, regulariter non possunt executores uni soli relicta dare, sed debent proportionaliter inter plures distribuere; hanc enim esse mentem testatoris

verba ipsa declarare sufficienter videntur. Felin. *in c. omnes Leges. dist. 1.* Bald. *in l. 1. c. de SS. Eccles. num. 19.* Jason. *in L. Gallus. §. quod si is ff. de liber. & posthum.* quos citat & sequitur Menoch. *L. 5. n. 24.* contra nonnullos. Sed neque uni soli plus largiri debent, quàm si necessarium habet; cum eleemosyna non detur, ut pauper dives fiat, sed ut necessaria habeat. D. Thom. *2. 2. q. 32. a. 10.* Menoch. *l. c. num. 26.* Reiffenst. *num. 819.* Quòd si tamen testator dixisset: volo, ut impendatur pro gloria Dei, vel animae meae salute: satisfaciet executor, si uni vel pluribus causis applicet. quin & dando uni soli totam substantiam relictam, si is ea indigeat; cum in omnibus his casibus satisfiat voluntati testatoris.

*Quaest. 770. An & qualiter executores alique commutare possint ultimam voluntatem testatorum?*

1. Resp. Primò: executores regulariter nequeunt à justa & licita voluntate testatoris discedere, aut eam in aliud opus, quamvis melius, commutare, etiam cum haeredum consensu, nisi interveniente autoritate summi Pontificis, aut Supremi Principis secularis ex justa & necessaria causa. Molin. *de 7. & 7. Tom. 2. d. 249. num. 1.* Laym. *L. 3. ir. 5. c. 41. n. 11.* Pirh. *h. t. n. 132.* Wiestn. *num. 290.* Reiffenst. *num. 804.* Moneta *de commut. ult. vol. c. 5. num. 53.* cum omnino communi & certa. Sumitur ex variis textibus, tum Juris Canonici. & imprimis ex *c. nos quidem. 3. c. tua nobis. 17. h. t. Clement. quia contingit. de religiof. domib.* Item ex Trid. *sess. 22. c. 6. de reformat.* ubi supponit commutationem ultimarum voluntatum non nisi ex justa & necessaria causa fieri debere à Sede Apostolica. tum Juris Civilis. *L. 1. c. 4. de admnistr. rerum ad civit. pertinent.*

2. Dixi: regulariter: quia admittit responsio limitationes aliquas. Nam primò commutare licebit, ubi testator eis specialiter concessit facultatem, voluntatem suam in aliquid, quod melius judicaverit, commutandi verum ut vides, hac ratione proprie non mutatur, sed adimpletur voluntas ultima testatoris, quaeque servanda est: Wiestn. *h. t. n. 292.* Secundò in casu, quo causa aliqua de novo incidit, vel qua testatore latuit, quam si praevidisset, aliter disposuisset, & si viveret, eam mutatione contentus esset. Reiffenst. *n. 805.* cum citatis à se Laym. *l. c. c. 11. Sa. V. testamentum, num. 33.* Covar. *in c. 17. h. t. num. 12.* ubi is cum aliis id exemplificat casu, quo pecunia legata in usum minus utilem interventu Episcopi ab executore impendi potest. in usum magis necessarium, cui aliunde sine magna difficultate subveniri non potest. verum nec id potest ex potestate proprie dispensandi, sed ex praesumpta rationaliter per episcopiam, ut cum paulò ante citatis. Reiff. *l. c.* Tertio praeveniendi tempus praefixum à testatore, solvendo. v. g. legatum post sex menses, ita ut cessantibus conjecturis suadentibus intentionem testatoris fuisse, ne solutio ante fiat, possit ante lapsum dicti temporis illud solvere; eò quòd, cum talis praeventio cedat in majus animae defuncti emolumentum, rectè praesumatur, tempus illud à testatore praefixum, non tanquam terminum, quem non liceret praevénire, sed quo lapso, facienda sine mora executio. ita Wiestn. *n. 291.* cum Covar. *inc. tua h. t. n. 5.* Molin. *l. c. n. 2.* Monet. *n. 57.* verum hic iterum illa potestas fundatur in praesumpta testatoris voluntate, unde haec dicenda non est mutari.

3. Resp.



3. Resp. Secundo, posse Summum Pontificem ex rationabili iustaque causa ultimas voluntates defunctorum, etiam dum aliis impleri commodè possent, commutare in alios pios usus (uti idem quò ad causas profanas possunt Supremi Principes faculares) extra controversiam est. & quò ad Pontificem liquet ex *Clement. 2. de religiosis domibus*. dum ibi, quæ ad certum usum largitione fidelium sunt destinata, ad illum, non alium usum convertenda dicuntur, sub hac clausula: quæ Sedis Apostolicæ potestas convertendi ea in alios usus expressè asseritur. ut cum *Gl. in cit. Clem. V. Sedis Apostolicæ* Abb. *ibid. n. 3. Imol. n. 9. Anchor. num. 2. Covar. in c. tua nobis. num. 7.* apud *Wiestn. n. 293.* ex ea etiam ratione, quia, ut docent *D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 1. Navar. de reduct. Eccles. q. 1. monito 40. à num. 6.* aliique Theologi & Canonistæ passim, penes hanc Sedem est suprema & generalis eadem à Christo immediate concessa administratio & dispositio rerum omnium relationem ad finem supernaturalem habentium, ut de iis publicis & privatis necessitatibus exigentibus, aut utilitatibus suadentibus, disponere liberè possit. Idemque quò ad Principes & supremos Magistratus faculares habetur. ex *L. 1. § 4. cit. ex ea etiam ratione*, quòd, ut juxta *L. 11. ff. de eccl. § L. quod semel. ff. de decret. ab ord. fac.* docent *Covar. L. 3. var. c. 6. num. 7. Molin. de j. § 7. tr. 1. d. 4. num. 7. Suar. L. 2. de LL. c. 14. n. 7.* res subditorum (adeoque & illa, de quibus ultima voluntate disposuerunt) ita subjiciantur eorum supremo dominio & administrationi, ut de iis, saltem ex iusta & ad publicam utilitatem spectante causa possint disponere.

4. Resp. tertio: posse Episcopos quòque ultimas voluntates commutare autoritate sibi ad hoc delegata à Sede Apostolica, facile admittunt omnes, & constare videtur ex Trident. *sess. 22. c. 4. de reformatione*. ubi iis præcepit, ut in commutatione ultimarum voluntatum tanquam delegati Sedis Apostolicæ non procedant, nisi prius summarè & extra judicialiter cognoscant, nihil in precibus tacita veritate vel suggesta fallitate fuisse narratum. Verùm & in hoc, num concilium loquatur de commutationibus, quæ hic & nunc seu in casu speciali faciendæ delegantur; an verò de iis, quarum ex iusta causa faciendarum potestas generali delegatione commissa sit, ut volunt AA. Secundæ sententiæ mox subjiciendæ, non conveniunt AA. Possè quoque Episcopos autoritate sua ordinaria voluntates ultimas quò ad relicta ad causas pias, dum ea ad usum à testatore designatum converti nequeunt, vel non sufficiunt, commutare, convertendo ea ad alium pium usum, saltem cum consensu hæredis vel alterius, si quis est, executoris, vel etiam iis sine iusta causa dissentientibus, ita tamen, ut in quantum fieri potest, servetur defuncti voluntas, tenent *Abb. in c. 3. h. t. num. 6. & ibid. Covar. num. 12. Molin. d. 249. num. 7. Laym. L. 3. tr. 5. c. 11. num. 10.* quamque sententiam communem dicit *Reiffent. h. t. num. 809. Arg. c. 3. h. t. § L. 16. ff. de usus.* In eo verò, num id possint Episcopi, dum voluntas defuncti de facto & de jure impleri potest non conveniunt AA. Negant *Cardin. in cit. Clem. quia contingit. de Religios. domib.* *Covar. in c. tua nov. h. t. num. 7. Molin. l. c. num. 5. Azor. p. 2. l. 5. c. 33. q. 9. Monet. l. c. c. 5. n. 312. Barbof. de off. Episc. alleg. 83. num. 2.* apud *Wiestn. h. t. num. 294.* qui hanc sententiam communem dicit. *Arg. cit. Clem. ubi ea commutatio soli Papæ reservatur. & c. conquesus. de foro compet. c. tua nos. § c. nos quidem.*

quibus textibus impletionem ultimarum voluntatum promovere jubentur Episcopi. item *L. legatam 16. ff. de usus.* quæ pecunia civitati vel municipio legata in aliam rem, quam defunctus voluit, citra summi Principis voluntatem nequit; ex ea etiam ratione, quòd inferior superioris legem relaxare, eique derogare nequeat per *c. cum inferior. 16. de major. & obed.* jure autem communi Ecclesiastico à defunctis relictorum conversio & libera commutatio prohibeatur per citatos textus, quibus contrarium Episcopis non permittit. *Trident. l. c.*

5. E contra posse quoque Episcopos voluntates defunctorum ad pias causas, etiam dum facto & jure impleri possunt, ordinaria sua voluntate commutare, relicta in certos pios usus convertendo in alios usus, saltem utiliores & meliores, & ad hæredum instantiam aut consensum, affirmant. *Sylv. V. legatum. 4. q. 12. Valq. opusc. de testam. c. 8. §. 5. Beia. respons. conscient. p. 4. cas. 22. Comit. resp. mor. L. 7. q. 9. num. 2. Dian. p. 2. tr. 3. miscell. resol. 26. Engels. h. t. num. 28.* quam sententiam juri non contrariam, & usu receptam dicit *Wiestn. h. t. num. 296.* confirmatque eam *num. 295*; ex eo, quòd Episcopis per *c. sicut univ. 8. de excess. Pralat.* competat potestas (intellige ordinaria) ex iusta causa uniendi etiam accessorie Ecclesias & beneficia Ecclesiastica, quæ unio hoc modo facta importat suppressionem & extinctionem Beneficiorum & commutationem primæ mentis fundatorum. Item ex eo, quòd dum relicta pia in meliores usus convertuntur, non tam infringatur testatorum voluntas, quam declaratur, eorumque voluntas interpretativa impleatur quæ tamen binæ postremæ confirmationes parum efficaces videntur. earum quidem primæ; dum hodie dum per decretum *Urbani VIII.* quòd exstat in Bullario, estque 45. hujus Pontificis, ac incipit: *cum sape*: universaliter omnibus Episcopis & Ordinibus Generalibus prohibetur, ne ullam reductionem missarum sine Sedis Apostolicæ licentia faciant, de quo alibi. Secunda, dum hic non quaritur de ea mutatione voluntatis ultimæ, quæ secum fert interpretativam impletionem illius, sed de ea, quæ ab illa præscindit, vel eam excludit. Porro, si potestate suâ ordinariâ commutare possunt Episcopi voluntates ultimas, poterunt idem pari modo in Ecclesiis sui tituli Cardinales, etiam tantum Presbyteri & Diaconi; uti & alii Prælati Episcopis inferiores in certum territorium & populum exercentes jurisdictionem quasi Episcopalem; cum ea commutatio non sit Ordinis, sed jurisdictionis Episcopalis. uti id posse Cardinales dictosque Prælatos absolute asserit. *Wiestn. h. t. num. 303. cum Monet. l. c. c. 5. à num. 452. & Barbof. l. c. alleg. 83. n. 16.* Nontamen id tunc competere Vicariis Generalibus Sede Episcopali plena vi mandati generalis; eò quòd commutatio ultimarum voluntatum sit de causis gravioribus & arduis, quæ speciale mandatum requirunt, bene dicit *Idem. citatis Cucho. Inst. major. l. 1. tit. 9. n. 82. Barbof. & Monet. LL. cit.* Possè tamen Vicarium Capitularem Sede vacante commutare voluntates ultimas, sicut id potest ipsum Capitulum (intellige, si Episcopus id poterat jure ordinario, secus, si tantum jure delegato; cum sola jurisdictio Episcopalis ordinaria, non verò delegata transeat ad Capitulum Sede vacante) vi generalis suæ commisionis (nisi fortè Capitulum sibi specialiter hanc commutationem reservaret) eò quòd jurisdictionis Episcopalis penes se residentis exercitium absolute, ut potest & solet, transtulerit in eum, asserit. *Wiestn. num. 305.* citatis pro hoc *Quarant in sum. Bulla.*

*Bullar. V. Capit. Sede vac. q. 12. vers. verum quia.*  
Gutt. 99. can. c. 11. num. 10. Monet. cit. c. 5. à  
num. 97.

6. De cetero notandum hic circa causas mutandi ultimas voluntates; quod causa iusta & necessaria sæpe in iure confundantur; cum omnis causa necessaria sit quoque iusta, causa etiam necessaria dicatur magna in exequendo difficultas; cum valde difficilia reputentur moraliter impossibilia per *L. 125. de ff. S. quin & evidens major utilitas necessitati æquiparetur*, ita ut, quæ huius, etiam illius causâ permittantur. *Clem. 1. de reb. Eccles. alien. ubi Gl. v. necessitas.* Lambertin. *de iurep. L. 3. q. 6. a. 1. num. 6.* Monet. *l. c. c. 6. num. 101.* Wiestn. *num. 300.* Quamvis aliâ iusta causa importet causam omnem rationabilem, qualis adhuc est, etsi non sit cum necessitate & difficultate conjuncta, sed purè consistat in utilitate, quæ ad istiusmodi commutationes sæpe sufficiens; semper enim exigam causam necessitatis, & non sufficere causam purè publicæ utilitatis, repugnat communi sensui & usui. Wiestn. *num. 295.* cum Monet. *l. c. c. 6. num. 109.*

*Quæst. 771. Num executor solvere possit & debeat omnia testatoris debita, vendereque bona testatoris ad solvenda legata.*

1. **R** Esp. Ad primum: debita testatoris distincta à legatis, non contenta in testamento executores solvere nec debent, nec possunt; quia solum sunt executores testamenti; sed ea ab hærede peti debent, nisi tamen testator in genere dixisset, ut exoneraret suam conscientiam, ut executores solvant ejus debita; tunc enim possent & deberent omnia ejus debita, non solum civilia, sed & naturalia, quæ in foro conscientie debentur, solvere de Lugo. *de 7. & 7. Tom. 2. d. 24. num. 333.* Possunt etiam, si hæres non resistat, legata debita propria autoritate solvere. hærede verò invito, non potest executor propria autoritate rem legatam capere, ut tradat legatario; quia non potest propria autoritate hæredem ejicere è sua possessione bonorum. Potest tamen & debet Episcopum rogare, ut is compellat hæredem; uti etiam ipse potest agere contra hæredem & debitores hæreditatis ad pia legata; ad alia verò, si sit merus executor, non potest agere directè, sed implorare debet officium Judicis, ut is ex officio hæredem cogat; quamvis soleant testatores facultatem dare executoribus agendi contra hæredes & alios. ita de Lugo. *l. c.* remittens ad Molin. & Sanch.

2. **R** Esp. Ad secundum: non potest executor particularis (qualis hic dicitur, qui instituto alio hærede nominatus est ad exequendum testamentum) vendere propria autoritate bona testatoris ad exequenda legata aliæque opera à testatore præscripta. estque talis ab eo facta venditio nulla. Lugo. *l. c. num. 332.* addens, de facto tamen solere communiter testatores executoribus etiam illis concedere illam facultatem vendendi in ordine ad implendam in testamento contenta. Potest verò, ut Idem, id sine speciatim ad hoc concessa facultate executor generalis (qualis dicitur, qui nullo hærede instituto, constitutus ad voluntatem defuncti exequendam, & distribuendi bona illius in salutem animæ defuncti) cum is reputetur quasi hæres per *L. si quis ad declinandam. c. de Episc. & Cler.* Porro

executor particularis instructus illa facultate vendendi, in vendendo servare debet ordinem, vendendo prius mobilia, postea jura & actiones, ac dein immobilia, juxta *L. à divo. §. in venditione. ff. de re judic.* Item vendendo bona fide, nimirum rem magni pretii non vendendo pretio minimo. Potest tamen etiam hæres executorem impedire ne vendat, offerendo pecuniam necessariam, vel exhibendo se paratum ad vendendum & satisfaciendum intra debitum terminum, vel offerendo rem aliam, quæ cum minore incommodo vendi possit, vel emptorem, qui majus pretium offerat. Ceterum, ubi suo jure vendere potest executor, non tenetur de evictione, sed hæres. Potest etiam permutare, obligare & in solutum dare, non tamen hac facultate uti de jure communi ante aditam hæreditatem, nisi ad legata pia; nec sine prius requisito hærede, nisi fortè is ex industria fugeret executorem. ita ferè de Lugo.

*Quæst. 772. Num executori debeat salarium ratione hujus officii.*

**R** Esp. Quamquam quandoque executori relinquatur honorarium aliquod à testatore, non tamen debetur hoc illi tanquam salarium ratione officii; de hoc enim ejus salario nulla est in iure mentio, estque hoc contra praxim; cum officium sit voluntarium pietatis & caritatis vel amicitie. Nisi tamen ea de causa executor impediretur à rebus propriis agendis, ac inde pateretur lucrum cessans vel damnum emergens; hoc enim ei ex rebus hæreditariis compensandum esset; vel nisi esset non merus executor, sed etiam administrator bonorum; pro hac enim administratione deberet illi per Judicem assignari salarium competens. de Lugo. *l. c. n. 335.*

*Quæst. 773. Quamdiu duret officium executoris, & num eo finito, teneatur reddere rationes gesti officii.*

1. **R** Esp. Primò: quod attinet ad primum, de eo satis dictum supra, ubi, intra quod tempus executor debeat suum officium exequi, seu inchoare & finire. nam præfixo ei ad hoc tempore elapso, cessat ejus officium absolute, si integrè omnia executus fuerit, vel devolvitur ad alium, si neglexerit.

2. **R** Esp. Secundò: tenentur executores reddere rationes executionis seu gesti officii sui, ut, si in eo deliquerint, puniantur. ita communiter omnes. Non tamen tenentur reddere rationem de iis, quæ defunctus eis secreto exequenda commisit, nisi præsumeretur fraus, quia res reperirentur penes executorem. si tamen testator non declarasset testamento hanc commissionem datam executori, nec id aliter testibus probari possit, non crederetur assenti sibi eam factam. ita de Lugo. *num. 334.* ubi etiam cum Sanch. *du. 49.* (qui tamen addit, credi executori assenti cum juramento in rebus minimis) & Molin. *d. 250.* esse hanc causam reddendarum rationum mixti fori, & in ea locum præventioni. Porro Clericos & Religiosos, tam exemptos, quam non exemptos, qui munus hoc exercent, teneri has reddere vi *Clem. unic. de testam.* coram Ordinariis locorum seu Episcopis & Diocesanis, astitit de Lugo. *num. 327.* citans pro hoc Sanch. & Molin. Verum id ipsum quò ad exemptos procedere negant cum Gl. in *cit. Clem. V. tales.* Abb. *ibid. n. 8.* Barbof. *n. 5.* quibus citatis iuhæret Wiestn. *b. r. num. 289.* citans quo-

quoque pro hac sententia. Sanch. cit. c. 11. n. 23. eo quod dicta constitutio, utpote odiosa & pœnalis, à personis in ea expressis ad aliàs non expressas non sit extendenda. ac proinde, cùm loqui videatur de Religiosis claustralibus, non extendendam

ad Religiosos non claustrales, qui alicui Ecclesie seculari exemptæ præpositi executionis suæ testamentariae rationes Papæ duntaxat ejusve legato, vel alteri suo legitimo Superiori reddere tenentur.

## TITULUS XXVII.

### De successione ab intestato.

*Quæst. 774. Quid sit successio ab intestato, à qua lege originem trahat & quotupliciter fiat.*

**R** Esp. Ad primum: successio in bona defuncti ab intestato dicitur, quæ, deficiente successione testamentaria (qualis est, quæ sui causa proxima factum seu dispositionem hominis, puta testatoris habet) defertur immediatè à sola lege, tanquam solis legibus debita; unde & propriè legitima & iusta dicitur, perque illud nomen sæpe in iure distinguitur à successione testamentaria; uti & ea, quæ conventionem hominum per pactum vel renunciationem factam de consensu illius, de cuius hæreditate agitur, acquiritur, quæ propriè testamentaria non est. Dicitur autem successio testamentaria deficere, & defunctus intestatus decedere, non tantum quando planè nullum testamentum fecit, sed etiam, licet aliquod fecerit, illud tamen nullas vires aut effectum habet. v. g. si propter voluntatis vel solennitatis essentialiter requisita defectum ab initio nullum fuit (quo etiam referuntur, & intestati decedere dicuntur, qui testamentum de iure facere non potuerunt. v. g. impuberes, prodigi & similes) vel validum quidem ab initio fuit, sed postea ipso iure infirmatur, rumpitur, destituitur, nullo hærede existente seu esse nolente, vel irritatur ob capitis diminutionem, quod testator sit condemnatus ad mortem; vel rescinditur officio iudicis per querelam inofficiosi; in his enim omnibus casibus successio ab intestato locum habet per *L. de hered. que ab intestato. l. 1. ff. de suis & legit. l. 6. §. 1. ff. l. 34. c. de inoff. test.* Lauterb. de success. civil. ab intest. secundum Novell. 128. §. 3. Porro huic successioni ab intestato præfertur testamentaria; cùm ea in subsidium obtineat per *L. 39. §. 70. ff. de acquir. vel omitt. hered. l. 8. c. comm. de success.* Lauterb. §. 2. dum verò quis præterit hæreditatem ab intestato, contradictor illius asserens testamentum factum esse, id probare debet; cùm testamentum sit quid facti, quod in dubio non præsumitur, sed ab allegante probari debet, eoque non probato, quilibet creditur intestatus mortuus. Lauterb. l. c. citatis Bachov. ad Treutl. vol. 2. du. 16. ib. 1. lit. a. in fin. Barry. de success. l. 18. tit. fin. pr. Fachin. l. 6. contror. c. 46.

2. Resp. Ad secundum: dum dicitur hæc successio esse legis seu de lege civili, intelligendum id est, quòd quò ad modum, determinationem & ordinem, quo defertur hæreditas defuncti intestati sit juris civilis, ut Wiestn. h. t. n. 1. quod ipsum tamen quò ad ordinem non ubique idem est, dum apud Romanos diverso tempore de hoc successione ordine diversa erant iura, uti & modò in Imperio, in diversis Provinciis. Unde dum quaritur, cui ab intestato delata hæreditas, non statim ad jus commune, sed iura locorum, etiam statutaria, respiciendum

R. P. Levr. Jur. Can. Lib. III.

Lauterb. l. c. §. 4. Quod tamen jus civile, quia etiam quò ad hæc fundatur in præsumpta maiore dilectione propinquorum præ extraneis magisque conjunctorum sanguine præminis conjunctis, indeque nata affectio certos gradus habet, certo ordine hæc cognatos vocat. unde & altiore sui originem hoc jus civile positivum respicit; dum nimirum ante omnem juris huius dispositionem ab omnibus populis defunctorum bona ad liberos & propinquos ex communi affectu semper devolvebantur. quin & lege divina, ut constat ex *Levit. 2. v. 42. Num. 27. v. 6. Deuter. 4. v. 4.* præcipiente, bona transmitti in ejusdem generis posteros seu descendentes ad familiarum conservationem, imò iure & distamine naturali, ut colligitur ex *can. jus naturale. 7. dist. 1. L. scimus. §. 2. c. de inoff. testam.* cum amor propensior in liberos & propinquos, iisque præ extraneis consulendi studium mortalibus à natura insitum sit. *L. 8. §. 1. ff. de jur. codicill.*

3. Resp. Ad tertium: fit hæc successio dupliciter, nimirum vel in capita, vel in stirpes. in capita, dum proprio iure acquiritur hæreditas, eaque in portiones viriles seu in tot partes, quot sunt personæ & capita, æqualiter dividitur. In stirpes, dum unus vel plures, nulla habita ratione multitudinis vel paucitatis personarum, loco & ex iure alterius, quem representant, v. g. liberi parentem, succedunt; ita ut, si sint multi, sive pauci, omnes simul tantam ex hæreditate portionem accipiant, quantum accepturus fuisset ille, cujus loco succedunt, quamvis eam dein portionem inter se æqualiter seu in capita dividant. v. g. pater intestatus moriens relinquit duos filios, & ex uno horum præmortuo sex nepotes, hi sex succedunt in stirpem, id est in locum sui patris, à quo tanquam communi stirpe proveniunt, omnesque simul plus non accipiunt ex hæreditate avi, quam quantum eorum pater, si vixisset, fuisset accepturus, nimirum quantum quisvis duorum fratrum illorum, nempe pater & patruus viventes accepissent. Eandemque portionem acciperent, sive nepotes essent 12, sive unus vel duo. ita ferè Barry. de success. l. 18. tit. 1. num. 2. Gomef. Tom. 1. var. cap. 1. num. 2. & 12. Molin. Tom. 2. de j. & j. d. 162. num. 3. Haunold. Tom. 1. de j. & j. tract. 5. à num. 401. quos citat Wiestn. h. t. num. 4. & sumitur ex §. 6. & §. fin. Inst. de hered. que ab intest. & Auth. in successione. c. de suis & legit. Neque ad hanc successione in stirpes facit, quòd filius, cui succedunt, defunctus fuerit emancipatus, sive adhuc sub patria potestate; aut etiam, quòd ex patre eorum præcesserit ingratitudinis causa sufficiens ad exhæredationem; cùm eà usus non sit eorum avus. de Lugo. Tom. 2. de j. & j. d. 24. n. 176.

Aaaa

Quæst.